

SACKLINIUS

KANSALLISKIRJASTO - NATIONAL BIBLIOTEKET



101 064 9737




HEIKKI REENPÄÄN
KIRJASTO

HENRICUS SACKLINIUS
ORATIO CAROLI UNDECIMI
ABOAE P. HANSON
1668.

Prov:

Shipping: MEL 515

Ost: AE-2000



O R A T I O

Γ Ε Ν Ε Θ Λ Ι Α Κ Η

Q U A

SERENISSIMI ATQUE POTENTISSIMI PRIN-
CIPIS AC DOMINI

CAROLI UNDECIMI

SVECORUM GOTHORUM VANDALORUMQUE &c. REGIS

AUSPICATISSIMUM DIEM NATALEM

Qui incidit in xxiv. Novemb. Anni MDCLV.

In conventu maximo magnorum virorum S.^æ
R.^æ M.^{tis} Ministrorum de patria nostra præcla-
rè merentium, ut & in confluxu studiosæ
juventutis ad patriæ spem succrescentis

*In Academia Patria, quæ Aboæ est, publicè concelebrabat
die xxiv. Novemb.*

HENRICUS SACKLINIUS

O:Bothniensis S. R. M. Alumnus

ANNO MDC LXVIII.

A B O Æ,

Excusa à PETRO HANSONIO Acad. Typogr.

SERENISSIMO ATQUE POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

CAROLO UNDECIMO

SVECORUM, GOTHORUM, VANDALORUMQUE RE-
GI, ET PRINCIPI HEREDITARIO, MAGNO DU-
CI FINLANDIÆ, DUCI SCANIÆ, ÆSTHONIÆ,
LIVONIÆ, CARELIÆ, BREMÆ, VERDÆ, STE-
TINI, POMERANIÆ, CASSUBIÆ, ET VANDA-
LIÆ, PRINCIPI RUGIÆ, DOMINO INGRIÆ, ET
VISMARIÆ, NEC NON PALATINO COMITI AD
RHENUM, BAVARIÆ, JULIACI, CLIVIÆ ET
MONTIUM DUCI &c.



REGI ET DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

OMNIGENAM FELICITATEM.

SERENISSIME REX

Domine Clementissime,

Nemo est omnium, qui non, cum majores nostros sub alienigena Domino miseris, inopes, in ferro & fuga cum liberis & conjugibus versatos, everfos fortunatis, vinculis crudelium latronum constrictos, ad carceres, ad horribilem corporis cruciatum, ad verbera, ad neces abreptos meminerit: restitutam libertatem, repetitam felicitatem, & hanc florentissimam cuncta foventem pacem, T.^e M.^{is} Antecessoribusq; Tuis gloriosissimæ recordationis se, post Deum, debere atq; acceptam ferre profiteatur. Neq; enim quenquam latere potest aut debet; quantis laboribus, molestijs & periculis, imò vita jactura & acerba morte, intolerabilem durissimamq; à cervicibus nostris depulerint servitutem: Et hanc, qua nunc cum voluptate fruimur, libertatem, quietem, vacationem, securitatem & lucis usuram pepererint; fortissimè defenderint, constantissime conservarint & cum fide posteris suis tradiderint. Quas tam ingentes commoditates tempestivè, felicissima R.^e T.^e M.^{is} nativitate, non tantum custoditas & luculentissimè adauctas; sed etiam ad solidum piæ posteritatis gaudium, ad subsequenda secula transmissas voluit omnis boni Auctor & caput Deus. Meritò proinde ad diem natalem R.^e T.^e M.^{is}, coelo isthac debita beneficia grato affectu & sancta recordatione colimus & veneramur. Verum in arduo hoc negotio, non consummatos dicendi magistros, qui exquisita latitiæ statuam pingere, exsculpere atq; ad vivum exprimere consueverunt; sed sanctæ simplicitatis & humilima devotionis homines amulo, locumq; solum, in quo erigi possit, obsequio & fide sternere constitui: Quem nusquam magis idoneum, quam in subditorum animis invenio, quorum nulli, in veneranda atq; colenda Majestate Tuas, concedo! Quamobrem REX Clementissime, nihil à me, quod à sapientiæ penetralibus erutum, aut è lauta Eloquentiæ suppellectile depromptum sit, quod ad M.^{is} T.^e culmen quoquo modo arreperere queat, expecta; sed munusculum nullo ornatum colore, tantum gratitudinis & humilimæ subjectionis meæ argumentum, ante R.^e T.^e M.^{is} pedes deponi patere, sereno atq; clementi vultu, quod ab ingenio immaturo, pietatis tamen & humilimæ devotionis maturo, profectum;

Et R.^e T.^e M.^{ti} oblatum suscipe, radiosq; Clementia Tuæ, qui me iam dudum
iacentem Et novercantis fortunæ insidijs expositum erigant, licet indignum,
clementer porrò diffunde. Deus T. O. M. qui, gloriosissima memoria paren-
tis R.^e T.^e M.^{ti} Regis nostri ut quondam invictissimi, ita nunc etiam desidera-
tissimi morte labantem rem suecanam, M.^{ti} T.^e felici ortu, sustentavit Et erexit,
is quoq; R.^m T.^m M.^{rem} optato rerum cursu, florentissima, fida, tuta Et aterna
pace coronet, triumphis victorijsq; crescere, florescere Et vigere benigne ju-
beat, Vitam Et incolumitatem ad seram nepotum atatem prolonget, quo sub
R.^e T.^e M.^{ti} protectione Et tutela tranquille Et pie atatem agere omnes R.^e T.^e
M.^{ti} subjecti Regni Sueciæ incolæ possint. Sic opto, sic voveo, sic precor.

S.^e R.^e T.^e M.^{ti}

Humilimus Et subjectissimus Servus

HENRICUS SACKLINIUS
O-Bothn.

ORATIO
GENETHLIACA

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI
ATQUE DOMINO.

CAROLO UNDECIMO
SVECORUM GOTHORUM VAN-
DALORUMQUE Etc. &c. &c. REGI.
DICTA.

SI, Quantum commodi, in nos, ad obsequendi glo-
riam relictos, ex sudore & labore eorum, quibus
DEUS TER OPT. MAX. summum suam manu
tradidit imperium, redundat, ad rectae rationis sta-
terae libramentum examinaverimus: illis, licet tan-
tam, quantam referre debemus, non queamus, habendam tamen esse
gratiam, quantam maximam animi nostri capere possunt, liquido
perspiciemus. Subeunt namque pro Republ. tempestates, labefa-
ctatae convulsaeque; opem ferunt, succurrunt saluti fortunisque communi-
bus, omnes seditionum intercludunt vias, ut juris judiciorumque aequi-
tate suum quisque teneat prudenter provident, bonos preclarosque viros
tuentur & debitis efferunt honoribus, noxios poenis, multa & vincu-
lis coercent, suam salutem posteriore salute communi ducunt.
Sunt enim tanquam splendidissimum illud sidus & fulgentissimum lu-
minarium Sol, qui non tantum in se lucidus est; sed etiam reliquis a-
stris lucem communicat: Aut quemadmodum in humano corpore
nonnullae partes non sibi modo sunt natae; verum etiam ceterorum
membrorum usum adjuvant: Haud secus illi, quos sacratio potestas
atque rerum conditor omnium Deus, ad summi fastigij dignationem
paternè admovit, tum sibi tum universae Reipubl. consulunt, imò
publicam privatae praeponunt & anteferunt utilitatem. Quis proinde
tam esset amens, aut qui tandem tam ingrati reperiantur cives, qui
divina isthac beneficia pia mente & devoto affectu non agnoscant &

exosculabuntur? Pari planè ratione clementissimam ac propensissimam Serenissimi Regis nostri **CAROLI UNDECIMI** erga nos voluntatem, & cætera, quæ à nobis, propter exilitatem ingenij, & iudicium nondum satis solidæ experientiæ aratro subactum, explicari nequeunt, præstita beneficia, ob oculos ponere & crebris usurpare sermonibus debemus. Id autem, inter alia devotæ pietatis documenta, pro opis nostræ conditione effecturi: Si, imitati Siculos, qui diem natalem imperatoris sui Timoleontis viri omni laude majoris, festum habuerunt, hodiernam lucem; quæ tredecim retrò annis, Sereniss. atq; Clementiss. Regem nostrum, nobile illud orbis arctoi sidus exortum excepit, publicâ lætitiâ transegerimus. Verùm cum nullum tantum sit flumen ingenij, nulla dicendi scribendiq; tanta vis tantaq; copia, quæ, non dicam extollere sed enarrare, hac de re natum gaudium possit. Tantum quippe est, quod in sui societatem, non modò eos, qui illi propinquiores; verum etiam hos, qui ab eo remotiores esse videntur, recipit. Cumq; summi viri, qui virtutes oratorias omnes penitùs animo comprehenderunt, omniaq;, quæ volunt, tractant facilimè, uno ore confiteantur: magnum utiq; esse onus, suscipere & profiteri sese, omnibus silentibus, unum maximis de rebus magno in conventu illustrium ac doctorum hominum audiendum. Proindè, si quis est, qui me, quod rem tam arduam voluptatiqu; referatissimam, quam nemo mente capere, cogitatione assequi, multò minus oratione explicare potest, rudi impolitoq; sermone vel adumbrare conatus fuerim, reprehendendum putet. Adscitibaris ad iudicium suum, non modò vestram AUDIT. Sed etiam meam, qui id ausus fuerim, sententiam. Eum tamen oratum habeo, cogitet vel temerarium Phaetonta ab ingeniosissimo Poëta commendari, quod, licet currum non tenuerit, magnis nihilominus exciderit ausis. Ita me quoq; potius malle officij onere opprimi, quam id, quod mihi devotissimus animus injunxit, propter infirmitatem meam deponere. Imò cum maximis Seren. ac Clementis: Regis nostri beneficijs obstrictus ad humilima servitia fuerim, me aliquo debitæ gratitudinis genere animum

num summè devotum, apud eum testatiorem relinquere cupiisse, nihilq; mihi in mentem venire, quo possim, quod paro, commodè perficere, nisi hoc unum, quod Seren. ac Clementis: Regi ac Domino nostro, pro solita bonitate, haud spero fore ingratum: Faciam, ut beneficia: S.^a R.^a M.^{tis} quibus ego aut mei similes respondere non possunt, gratâ recordatione ac piâ memoriâ colam.

Quod initium harum rerum inveniam idoneum, aut quid nunc primum comemorem AUDIT? Commoditates? quas benigna fortuna tot ac tantam opportunè, in hunc conclusit diem, an lætitiâ? quæ tanta omnium omninò septemtrionalium populorum atq; gentium, ex felicissimâ Seren. ac Clem. Regis nostri **CAROLI UNDECIMI** nativitate extitit, quanta solet esse illorum, qui non speratâ felicitate per quietem fruuntur, vix credendo suam voluptatem, nec satis capiendo gaudij magnitudinem. Alij enim, cum facilè sentirent ingens isthoc gaudium maximâ ex parte ad Parentem Regem Gloriosiss. memoriæ **CAROLUM GUSTAVUM** redundare, ex disjunctissimis pariter ac vicinis terris congratulatum illi advolarunt. Alij dissitarum gentium ac populorum imperatores, Reges atq; Principes, aut gravioribus impliciti bellis, aut ingentioribus impediti regni curis, aut propter difficultates longitudinesq; viarum retenti, literis ac legationibus suam testari sunt lætitiâ. Vidimus, imò cum voluptate vidimus, illustrissimos Regni ordinum, quibus in absentia Gloriosiss. mem. Regis primaria administrandæ Reipubl. cura concredita erat, alios Sereniss. Reginae Matris, tantâ prole Seren: Regem Parentem, tanto fidere universam Rempubl. beantis, manum exosculantes, alios publicam lætitiâ & supplicationes indicentes, ceteros vero, quò Regi victricibus armis hostilem terram subigenti insigne isthoc gaudium primi obijcerent, literas consignantes. Quid nunc referam Doctores pietate insignes, eruditionis raræ, Eloquentiæ consummatæ, juvenes ingenij exquisiti, facundia propè absolutæ? Quorum vocibus ac orationibus liberalium artium palæstræ & Academiarum pulpita personaverunt. Meminif.

se juvat AUDIT. & animum incredibili perfundit gaudio, dum memoriâ repeto & in proscenium revoco, nunc universorum in sacratori cœtu communes gratulationes & jubila; nunc singulorum in sua cujusq; domo hymnos, crebris usurpatam sermonibus Nativitatem Regis nostri Clementiss; & alia effusissimæ lætitiæ indicia. Res deniq; huc redit omnis: Pro se quisq; sedulò primum tantigaudij Auctorem Deum devotè prædicabat. Hoc autem jubileum non sanè ex ratione inconsulta, non ex lascivientis animi puerilis pruritu, non ex levioris commoditatis obtentu natum; sed justissimis æquissimisq; causis non dicam provocatum, sed expressum erat. Nam præterquam quod jucundi, læti ac illustres illi sunt Dies, quibus Reges, ad tantam nascuntur fortunam, quam quibus ab illis conservamur; etiamsi respicias, quanta eodem anno nobis periculorum incubuit moles, cui ferendæ Sveciam haud suffecturam putares: cujus belli contagio in nostram traxit hostilitatem & sui societatem multas finitimas gentes, eo animorum ardore & fiduciâ virium, ut coalitâ societate parum abfuerit, quin dividerent inter se prius occupandam antequam invaderent Sveciam. Videbant enim plurimum in bello pollere militum copiam & virtutem, ingenia Imperatorum, fortunam per omnia humana maximè in res bellicas esse potentem, majorem in paucitate futuram jacturam: ideoq; copia militum, abundantia navium, numero nautarum, affluentia com meatuum confici rem Svecanam sperabant. Quibus motibus & fluctibus componendis, licet Gloriosiss. mem: Rex CAROLUS GUSTAVUS tanquam salutare sidus tempestivus adfulserit, eum tamen ijs omnibus occurrurum, nulli non periculo, Martis alexæ, insidijs hostium, naufragijs & sexcentis pereundi vijs expositum sine certo regni hærede, dolebamus. Non enim aliter conspirationem potentissimorum hostium, quam nautæ decertantium ventorum raucos audientes strepitus, expavimus, aut quemadmodum minorum virium feræ immanium bestiarum & rugientium leonum ad prædam se parantium, confertum gregem metuere solent, timuimus. Subibat animos gravissimæ quondam sub Christierno Tyranno servitutis & crudelitatis memoria

moria, qui Deum æquè, atq; homines contemnens, omnibus nefandæ immanitatis & insolentiæ gradibus exultavit. Quoties is, Audit. jusjurandum religiosissimè à te præstitum, sumptâ quidvis agendi licentiâ, perfregit! Alterum pedem in castris alterum in curiâ habuit. Quo tempore si quis superiorum temporum præclari nominis Rex Sveciæ extitisset, sic ageret ac sic obortis lachrimis loqueretur: Quid malum, Christiæne, te impulit, ut perfidiâ, perjurijs, civium tuorum sanguine & nefandis sceleribus tibi eas laudem quæsitum? agnosco te truculentum Cleonem in concione ovium balenæ specie præsentem; & dictantem sententiam perterritis ovibus ituris in suffragium, tu nostro sanguine fatos & familiæ nostræ propagines, ut & regni Proceres inauditâ crudelitate trucidare, populum infinitis injurijs vexare, libertatem opprimere non exhorruisti. Eonè rem rediisse Suecanam, ut hic impotenti libidinum suarum subjectus imperio, dira in vos exercent imperia! Hæc illa est gratia, quam Ringoni nostro refers, qui debellato Daniæ Rege, fracto debilitatoq; regno, belli jure acerbè vobis dominari, libertatem viramq; eripere pro suo arbitrio potuisset; tamen hæc omnia forti animo & insigni moderatione inlibata reliquit, quibus omnibus tu egregiam reponis gratiam: Dum, proh dolor, in urbibus nostris regnant servi tui, te ipso crudeliores, cæde ac sanguine in nostram progeniem, & in promiscuam multitudinem debacchantur, expilant fortunas, vastant regiones: Sed quid ego Audit. Ita gravem personam induxi, ut verear, ne se idem Rex repentè convertat, & nos, qui ea pertulimus, suâ gravitate accusare occipiat. Hæc atq; alia, inter pauca fortunæ sævientis exempla numeranda, animos, præcipuè eorum, qui aut bellorum capere rationes, aut sagacitate præripere eventus, aut prudentiâ repræsentare victoriam non poterant, formidine occuparunt. Suberat autem altior trepidationis nostræ causa, ne videlicet Deus peccatis nostris offensus, quibus illum verbumq; ejus pro ridiculo atq; delectamento putamus, quibus animus noster miserè diffluit, adèo exornatos, adèo depexos daret, retundoret redigeretq; nos ita, ut quos nos verteremus, nesciendum foret. Quod factum facile esset, si Gloriosiss:

riofiff. memoriæ Rex CAROLUS GUSTAVUS aut hostium per-
rijffet infidiis, aut in prælio caderet, aut sine liberis obiret mortem.
Quantus, proh Deum atq; hominum! hostibus accreviffet animus,
quanta fiducia nostri funditus perdendi, ludum jocumq; CHRISTIERNI
Tyrannidem diceres, præ ut, quæ hostium hujusce tempeftatis rabies
datura erat, CHRISTIERNUS certè, quantuscunq; fuit, unustamen e-
rat, cujus licet ftupendus extiterit furor, is tamen vel tempore exclu-
sus, totalem edere stragem nequiviffet, plures vero, Circes poculo epo-
to, susceptoq; cum æqualibus certamine, ad præripiendum summæ cru-
delitatis præmium omni nisu contenderent. Gratulamur nobis AUD.
Quod auspicijs Gloriosiffimæ memoriæ Regis ex his augustijs res Sue-
cana expeditam invenit viam, portumq; in Nativitate Sereniffimi ac
Clementiffimi Regis nostri reperit, quo in excipiendis graviorum tem-
peftatum procellis ac turbinibus ufuri, navem nostram, in securitatem
subfequentium temporum, tutò dirigemus. Videre videor AUD. Re-
gem Gloriosiffimæ memoriæ, vim frigorum hyememq; quam nos vix
rectis fufinuimus, excipientem, his ipsis diebus, tum cum ipsæ feræ
sele latibulis contêgere, hostem persequentem, infomnes agentem
noctes, animum curis onerantem, nunc accepto de filij nativitate nun-
rio, lætitiâ exultantem, Quantas enim tristitiæ nubes ac nebulas di-
fuffit hoc nuper exortum fidus, quantam ademit sollicitudinem, quo
verò gaudio Gloriosiffimæ memoriæ Regem expletum ac delibutum
reddiderit? Hac tam exoptatâ felicitate crevit animus ducum, alacritas
militum, spes omnium: Quam vero hostium vires, ferociam & fidu-
ciam elidit, retudit, repressit? Quanto eos in ærore afflictos & profli-
gatos putamus? jacuere prostrati, sese percullos & abjectos tum pri-
mum sensere. Quibus omnibus effectum erat rebus, ut gesta Regis
Gloriosiff. memoriæ, rebus gestis Clariffimorum Regum, & conten-
tionum magnitudine, numero præliorum, celeritate conficiendi, diffi-
militudine bellorum, non tantum æquari; sed jure meritoq; præponi
poterunt. Neq; vero hoc illi difficilè erat, inerant enim ei, cum cæteræ
virtutes omnes, tum insignis in negotijs labor, rara in periculis fortitudo,
mira

mira in agendo industria, admiranda in conficiendo celeritas & paratissimum in providendo consilium. Id autem Auo: seriò triumphamus, quod Serenissimus atq; Clementissimus Rex noster originem suam, aut ad Aruspices Sabinorum, aut ad pastores Aboriginum, aut ad exules Corinthiorum, aut servos vernaſq; Tuscorum non referat; sed fulgentissimos Svecicæ ac Germanicæ nobilitatis soles, Reges Imperatores ac Principes, ex ipsa virtutis stirpe natos, qui excellentem animorum vim avitosq; mores, longâ sanguinis propagine ad feram nepotum proſteritatem traduxerunt, majores suos numerat. Non equidem ignoro, quam non egeat majorum splendore virtus, propriâ dignitate satis illustris; Sed & illud, vel Cicerone, Romanæ qui cluet parens eloquentiæ, teste, constat: Principi non minus indecorum ac perniciosum esse, inhonestis nasci, quam institui, hoc est, ut quemadmodum alienum erit à tantæ dignationis nomine, pudendæ originis verecundiâ erubescere, aut aliquo paterni dedecoris opprobrio confundi; sic non parvi aut exigui est momenti, magnæ virtutis stirpe esse generatum, aut honesto loco oriundum. Ut enim in fatione arborum conspicuæ nobilitatis desumptum videmus surculum, propagatis domesticorum animalium familijs, generosam spectatam esse indolem; ita parentum virtutem per genitale semen infusam in sobolem deprehendimus. Est enim, ut Poeta canit, in juvencis, est in Equis patrum virtus, & imbellem feroces non generant aquilæ columbam. Fortes creantur fortibus. Hic non præteribo Divinum Platonem; qui pretiosum liberorum Theſſaurum in parentum virtute ac gloriâ positum esse agnovit. Novit enim hic vir non tantum exactam constituendæ administrandæq; Reipubl. rationem; sed etiam ipsâ experienciâ magistrâ didicit, viditq; Athenienses Miltiadis & Cimonis, Thebanos Epaminondæ, Spartanos Lycurgi & Ageſelai virtute, donec summo genere isti nati, ad regendæ Reipubl. clavum federunt, hostium acies felicissimè proſtigasse, civium salutem fortissimè propugnasse, domi forisq; res omnes rectissimè administrasse. Sed quid peregrina referam? cum domestica vel supersint hujus rei clarissima do-

cumenta. Quid enim apud nos, nisi per viros amplissimis oriundos familijs, præclari gestum est? quorum alij patriæ in ultimum adductæ discrimen opem attulerunt, parvâq; manu immensa hostium agmina prostraverunt; Alij insuper æternis virtutum suarum monumentis eam condecorarunt, regni terminos protulerunt, clarissimum invictissimumq; reddiderunt imperium. Proindè hæc omnia, dignitatis ac virtutis ab ortu generis æstimationem, divino commendatam judicio, honoratam gentium testimonijs, illustratam rebus in omni ævi memoriam præclarissimè gestis, insitam semel cunctis rebus ab opifice Deo indolem, ut alijs alia naturæ viriumq; suarum pretio antecellerent & præirent, declarant. Dies me, si Serenissimi atq; Clementissimi Regis nostri spectati generis claritatem & illustri fortunæ natalia: si virtutes parvæ, avorum, abavorum, atavorum, majorumq; omnium, omnia fortia facta vel enumerare occipiam, deficiet; pauca tantum commemorasse, pro re nata, sufficiat. Quæris inter eos Camillum repetentem, indignè civibus suis ereptam, libertatem? En GUSTAVUM PRIMUM. Desideras Scipionem, miræ artis prædones ex patria fugantem? En GUSTAVUM PRIMUM. Miraris Philippum obsidem, patriæ comodo è custodiâ elabentem? En GUSTAVUM PRIMUM. Delectaris, cum relatum legis, Josiam, præclaræ pietatis & sinceri pectoris, divinoq; commendatum elogio Regem, cruentam Sacrorum religionem superstitionesq; vel gentibus abominabiles extirpantem? En GUSTAVUM PRIMUM. Quibus laudibus te Gloriosissimæ recordationis CAROLE NONE efferemus, quâ gratitudine prosequemur, aut quâ potissimum re piam & gratam tui memoriam declarabimus? Tu Constantinum Magnum imitatus, cruentato ecclesiæ mari, conspurcatâq; cadaveroso traditionum tabo religione, flagrantem exitiali peste homines, insanos superstitosæ pietatis Zelo Papalis curiæ vernulas, non modò profligasti; verum etiam piorum hominum portus, refugium & asylum semper fuisti tutissimum. Tu patriam nostram longè charissimam, dolo malo Polonorum turbatam, in se armatam & miseris modis in sua viscera sæ-

rã favientem, animo verè Regio, insigni prudentiã, virtute duce, fortunã comite nitori pristino restituiſti. Ad tui memoriam **GUSTAVE ADOLPHE** veræ virtutis splendidiffimum speculum, omnium ætatum Rex Clariffime paritèr ac Gloriffiffime, obſtupesco, libensq; profiteor me, & ſi tot mihi eſſent linguæ, quot folia mobilia in arboribus conſpiciuntur, tuam memorando divinam indolem, atq; paucis narrando inuſitatiffimas ſtupendasq; tuas virtutes, & res magis quam præclariffimè geſtas: in quibus decantandis alumni filijq; Muſarum fruſtrã deſudarunt, deſudabuntq;: nihil aliud quam injuriam tibi facere. Excitandus eſt proindè ex inferis Magnus ille Homerus & videamus an vel is poſſit Magnum decantare **GUSTAVUM ADOLPHUM**. Verum ipſum quoq; ira credo locuturum & in hæc verba erupturum: Nos quondam pudendos Deorum, quos tales ſtultè putavimus, amores, & ridicula ob meretricios complexus ſuſcepta bella, pro opis noſtræ conditione cecinimus, Achillis fortia facta piæ communicavimus poſteritati, & quod ſine invidiã dicam, immortalitati conſecravimus. Haud equidem abnuo Græcum egregium ducem, atq; ob exciſam Trojam, occiſumq; Hæctora inſignem bellatorem, ſed minus commendarum atq; clarum quam **GUSTAVUM ADOLPHUM**, quia hic cum paucis, ille cum multis comitibus, ille leviori, hic graviori cauſã ad bella deſcendit, ille minus nocua, hic maximè nocentia expertus arma, ille turpi Polyxenæ amore ardens egregia facta ignominioſã morte commaculavit, hic autem, Qui non tantum ſimulachra illa veræ virtutis Magnum Alexandrum fortitudine, Cæſarem clementiã, Porcium Catonem induſtriã, Ariſtidem juſtitiã, Pompejum innocentiam, Mithridatem peritiã linguarum ſuperavit; ſed etiam Lei & Hyacinthi ſtirpem imitatus, ſpiritum, pro patriæ, tanquam victimã, ut & pro Germaniæ ſalute atq; vero numinis cultu profundere non dubitavit. Hic cœleſtis Polyxenæ, veræ religionis, amore flagrans, Romanum Paridem, relicta illi ſua Helenã, in ordinem coegit, pudicitia Polyxenæ ſuæ tantam habuit curam, ut prius animam, quam tutandæ ejus laborem depoſuerit. Hunc nos dignis proſequi laudibus nequimus, & faſce

hac levare petimus. . Audir hic Rex omnium non modò sui seculi; sed etiam omnium temporum Clarissimus: Quem licet obesi Monachi & vulturij principes suis precibus è rebus humanis sublatum jactitent; coacti tamen rerum ab illo gestarum gloriâ, absolutum regem, justumq; bellatorem appellitant. Nulla unquam reticescet ætas tuas laudes JOANNES CASIMIRE Serenissimi Regis nostri AVE Gloriosissimæ memoriæ: quem cum nominamus, mirari desinimus Maroboduum, Tiberio Cæsari, non ut profugum; sed ex memoriâ præteritæ fortunæ, scribentem: Porum captivum ab Alexandro regie haberi volentem: Caractacum ad Claudium Cæsarem tractum, & forti animo præsentem fortunam excipientem: Horum, inquam, virilem animi firmitudinem mirari desinimus, dum TE avitum Dominium, præsummi numinis gloriâ, sprevisse relatum legimus. Novit hic vir, bonum principem non solum animis, sed etiam oculis civium suorum servire debere: Plerumq; enim populus conformat se exemplo principis, & quo eum inclinari videt, sequitur. Novit optimum principem in conscientiæ & divinas leges adèo intentum esse oportere, ut privati commodi jacturam potius malit, quam publici patiat aut admittat detrimentum. Novit Deum foenerariâ commodorum redhibitione bonum Zelum pensare, periculosa vertendo in tuta, quorum aliàs rationem humana mens non assequitur & vis rimatur. Quapropter hujus quoq; facti benignissimus remunerator Deus, tot tantaq; in illū contulit beneficia, quibus paternæ avitæq; ditionis recompensaretur pia & voluntaria jactura. Inter quæ facilè principem obtinet locum, quod illius posteritatem ad solium (quod Deus æternum servet.) Inclyti Sveciæ regni clementèr collocarit. Quo tanquam evidentissimo documento omnes sanè Principes, Reges atq; Imperatores docens, quanti sit habere divinorum curam, ac post rationes conscientiæ omnia ponere, ut, dum pro Dei Zelo perdere aliquid videntur, plus ex eo lucrentur quam amittant. Gloriosissimæ memoriæ Regem CAROLUM GUSTAVUM splendidissimum illud fulgentissimumq; Svecicæ Germanicæq; nobilitatis fidus audebo prætervehi, in quem GUSTAVORUM CAROLORUMq;

RUMQ; non tantum Majestas; sed etiam nomina, tanquam adstricta notabili vinculo, cesserunt; quem non minus propriæ commendabant virtutes, quam hæreditas avitæ virtutis condecorabat. Nemo enim illo vel splendore generis eminentior, vel sanctâ; in cultu divino, simplicitate commendatior; inerant illi; præter tanto fastigio dignas, virtutes omnes, ingenium inventionis plenum, peritia in togâ pariter ac sago, judicium in suscipiendis & exequendis negotijs subactum, gravitas, constantia & clementia pari jure dilectæ; moderamen insigne; temperantia mira, ita ut ei ad prandium iter antelucanum, ad coenam frugale prandium suffecerit, justitiâ æquitate permixta. Liberalitatis autem & Regiæ magnificentiæ in illo cape admirandum documentum, ut cum in perniciem nostram conspirassent potentissimi hostes, Sveciâq; ære, viris viribusq; exhausta corpore cicatricoso vix subsistere; sed quietem, aut novum gerendi belli nervum requirere videbatur, quod ne tantillum vel ad detrimentum cujusquam, vel ad impedimentum liberalium officinarum, ex stipendio Doctorum passus sit diminui. O Regem æternâ memoriâ dignissimum! qui præsentem difficultatem dispendio subsequenti ævi levare noluit. Reliquis temporibus ita semper bonitatis suæ aperuit fontes, ut neq; indignis beneficiâ paterent, neq; dignis deessent. Socialis vitæ condimenta, comitatem, Affabilitatem, Festivum ingenium, cum summas adamarit virtutes, non neglexit. Quæ vero illius fuerint virtutes imperatoriæ, mirabitur eas vel posterior ætas. Nunquam enim pedite, nunquam equite, nunquam æquis utiq; ; nunquam iniquis laboravit locis, multas acies in Germania, multas in Borussia, Lithuania, Polonia, Dania avertit. Audire cuperem, quis aut plures uno habuerit tempore hostes, aut quis feliciter illos represserit? Hunc Aug. extra adulationis suspicionem Patrem Patriæ & Svecici Regni Scipionem nominare poterimus: Hunc irato Deo rebus humanis exemptum longissimâq; vitâ dignissimum fateri licebit. Fuit equidem nobis tanti Regis immaturus obitus & præpropere mors acerba, quam profundis gemitibus, crebris querelis, & acerbis lacrymis omnes cordati & melioris mentis sub-

diti deflerunt. Agedum, jaſtent jam Conon, Pyrrhus & Mitridatēs generis ſui ſplendorem, & illuſtrem natalium claritatem? Provocent Babylonij ſuos Belos, Ninofq; numerent Perſæ ſuos Cyros: mirentur Athenienſes Miltiadis, Themiftoclis, Alcibiadis & reliquorum clari nominis ducum fortia facta: habeant in pretio Lacones Ageſilaum & Pauſaniam? Thebani laudent Epaminondam Pelopidamq;, extollant Achæi Philopœmenem: Effèrant Macedones laudibus Alexandrum Magnum, Glorientur Galli de Brenno & Vercingetorige, colant Romani ſuum Romulum, Brutum, Torquatos, Corvos, Manlios, Camillos, Fabios, Scipiones, Curſores Papirios, Marcellos, Claudios, Porcios, Sullas, Marios, Pompejos, Cæſares, Octavios & Germanicos. Pœni ſuos Annibales, Haſdrubalesq; referant. Noſtri CAROLI GUSTAVIq;, ut de cæteris nunc nihil dicam, tuti audacesq; & de ſpectati generis claritate, & virtute, & de rerum geſtarum gloriâ, cum hiſce, quos longo ordine enumeravi, ponent certamen. Sed quid me, Aud. in tam vaſtum dicendorum & probandorum mare imittam? potius tacebo, non quod expedire ſit in arduo, ſed cur opis noſtræ conſcius, tantas aggrediar componere lites? Pro me loquatur externus teſtis Germanus, qui de Svecis Svecorumq; Regibus in hunc ſcribit modum: Vobis Svecis nihil ad ſummam gloriam, præter laudatos rerum veſtrarum præcones deſuiſſe videtur. Virtus proinde, quâ nihil melius, nihil pulchrius, nihil formoſius, nihil amabilius eſt, eos omnes produxit, virtus extulit, virtus ad ſummi hōnoris evectos apicem immortalitati conſecravit. Prodeant nunc Græci immodici laudum ſuarum præcones, & dicant Athenienſes Gothicas oras, magnas virtutes, ingentes ad parandam gloriam ſtimulos, fervida honeſtatis ſtudia impedire, & CAROLOS GUSTAVOSq; hiſ rebus nominis ſui famam in omnem poſteritatis memoriam diſſeminare non potuiſſe, aſſeverabunt. Audebunt dicere, aliqua eſſe magnarum virtutum ſtudia, in quibus hi Reges & Principes cum laude non ſint verſati, aliquam nominabunt veræ gloriæ palæſtram, in quâ non ſuæ indiſtriæ, æternum in omnem ſeculorum memoriam depoſuerint monumentum. Tantorum Regum

gum ac Principum sanguinem Serenissimum atq; clementissimum Regem nostrum CAROLUM UNDECIMUM esse voluit ille, qui omnia potest Deus, ut ita à domestico inclytæ nobilitatis contubernio, à parentis, Avorum Majorumq; studijs & vitæ genere maximum haberet præsidium; ut ab ipsis incunabulis & vitæ exordio, vi divinæ indolis, sapientiæ studijs, militari disciplinæ & alijs præclarissimarum rerum negotijs consecraretur. Hinc signatam Majorum suorum vestigijs viam pleno ingreditur gradu, in amœniorum studiorum complexu, annos exigit lætiores, egregijs virtutum ornamentis, ingenijq; divinis inclytus dotibus, præ alijs fulgere & venerationem mereri parat, dum arduæ virtutis meditationi mentem intendit, dum Magnum æmulatur Alexandrum; qui orbis imperio, quod ei portendebatur, haud contentus, insita virtutum semina, meliorisq; animi dotes excolendo, ad consummatam produxit maturitatem, optimis præclarissimisq; rudimentis animum ad solidæ gloriæ cupiditatem alit, neq; tantum ob natalium felicitatem; sed etiam ob rarissimas propriasq; Regibus virtutes rerum potitur. Bonarum literarum, à Gloriosiss. recordationis Majoribus fundatas officinas sustentat, & Academias novas erigit, quas amplissimis exornatas privilegijs & stipendijs suâ clementissimâ decorat præsentia. Hæc sunt AUDIT. Ex quibus inter pleraq; alia & futuram auguramur, sed non levi conjecturâ, felicitatem, & de præsentia solide triumphamus. Quis etenim gaudio non perfundatur incredibili, dum cernit Gloriosiss. memoriæ CAROLUM GUSTAVUM, orbis quondam Arctoi delictum, in tantâ prole virtutum caractere expressâ, & paternâ mentis ac corporis formâ, renasci? Annon spem pristinæ felicitatis concipimus, dum videmus in Sereniss. Rege nostro GUSTAVOS CAROLOSq; magnâ cum voluptate recoli? Quis non lætabitur, dum sentit omnium somnos illius vigilantia, omnium quietem ejus labore, omnium delicias ejus industria, omnium vacationes ejus occupatione defendi, laborantium causam adversus inimicorum injurias propulsari, implicatam infidijs innocentiam omnibus opibus tueri; latrocinia extinguere, cædes reprimi, illatas injurias vindicari,

potentiores cum tenuioribus pari jure retineri, pro patriæ salute, pro legum incolumitate, pro disciplinæ stabilimento perpetuâ adversus improbos cives sustineri dimicationem? An in exiguam felicitatis nostræ portionem referemus, quod Serenissimam ac clementissimam REGI-
NAM MATREM, quæ antea domesticâ eâq; gravissimâ calamitate iccta lugebat, in sermone ac suavitate Serenissimi ac Clementissimi Regis filij unci acquiescere videamus? Quam tu ô Deus cœlesti Spiritu conforta & efficaci consolatione sustentata ac erige. Maximum certè ad commoditates nostras affert momentum, quod illustrissimum Comitum DN. PETRUM BRAHE Regni Drotzetum & Academiæ Cancellarium Magnificentissimum usibus Serenissimi ac Clementissimi Regis, ut & hujus Academiæ singulari præsidio superstitem conservavit idem ille optimus & benignissimus cœli & terræ Deus, Quodq; cæteros Regni Proceres & Senatores Excellentissimos ad Regis Regniq; com-
moda promovenda reservavit, saluberrimis consilijs instruxerit, suâ clementi præsentia defenderit, salvos sanosq; clementer præstiterit. Quod nos omnes & singulos sub umbrâ alarum suarum tectos tenerimè foverit, tranquillâ pace ornaverit, pestem à corporibus, calamitatem ab agris, pro suo erga nos amore, arcuerit, & quod prius dictum oportuit, omnes in tantæ nobilitatis christianæ amplitudinem, cui verus splendor, omniaq; gloriæ & honorum insignia debentur, asseruerit. O quanta divinæ erga nos bonitatis & paternæ curæ documenta! quæ cum quotidie ob oculos propono, deprehendo tantum abesse ut nullâ dicendi ubertate aut ingenij flumine enarrari, ut ne quidem obscuris lineamentis, multo minus rudi styli ductu describi possint; sed devoto pectore & grato animo agnosci, suspici ac venerari debent. Quarum omnium felicitatum agmen claudet, si Tu ô Deus, stator rerum omnium, caput auctorq; omnis boni, Pater maxime atq; optime, fons prosperitatum perennis, scaturigo beatitatis inexhausta, Serenissimum atq; clementissimum Regem nostrum, cujus diem celebramus Natalem, Sanctorum tuorum angelorum satellitio munire, florentem, incolumem, Augustum, inclytum atq; cumulado omnium cœlestium bono-

bonorum apparatu clarissimum præstare digneris. Vive proinde
 REX Serenissime ac clementissime, vive spes ardua patriæ, vive pa-
 rentis Maximi idea, vive Patris optimi unica proles, vive orbis Ara-
 ctici unicum solatium, vive Regni Svedici Delicium. Vive Augusti-
 Parentis Augusta propago, Vige tot Imperatorum, tot Regum, tot
 Principum sanguis. Deus te servet & unâ tecum patriam no-
 stram conservet, vale & diutissimè vive Rex potentissi-
 me, PIE, FELIX AUGUSTE.

DIXI.

IN FELICES
 SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS ATQ; DOMINI
CAROLI UNDECIMI
 SVECORUM GOTHORUM VANDALORUMq; Etc. &c. REGIS
NATALES.

Quos eruditâ ac culiâ Oratione publicè celebrabat

Dn. HENRICUS SACKLINIUS Bothn.

ἩΝΙ ΓΕΝΕΘΛΙΑ Εἶ ΤΙΟΜΕΝ ΜΕΓΑΛΟΙΟ ἈΝΑΚΤΟΣ,
 ἩἘΥΧΟΜΕΝΟΙ ΒΑΣΙΛΕΪ ΖΑΘΕΟΝ ΚΑΙ ΕἶΦΡΟΝΑ ΘΥΜΟΝ.
 ὩΣΤΕ ΑΓΑΛΛΕΣΘΑΙ ΑΓΑΘΟΥΣ, ΕΧΘΟΥΣ ΔΕ ΦΟΒΕΪΣΘΑΙ.
 ἈΝΘΗΣΕΙ ΘΡΟΝΟΣ ἈΝΘΗΣΕΙ ΚΑΙ ΤΟΥΤΝΟΜΑ ΚΕΙΝΟΥ.
 ἈΝΘΗΣΕΙ ΒΑΣΙΛΕΙΑ, ΠΟΛΙΤΑΙ, ΠἈΝ ἈΓΑΘΟΝ ΤΕ.
 ὍΦΡΑ ΔΙΑΞΩΜΕΝ ΒΙΟΝ ἩΡΕΜΟΝ ἩΣΥΧΙΟΝ ΤΕ.

*Ἐυφημίας ἔνεκεν
 εγγ.*

JOHANNES GÆZELIUS D.
 Ep. Ab.

Natalem celebrat nostri pia patria REGIS,
 Quem DEUS omnipotens tueatur, & usq; gubernet!
 Incolumem & det Sacra Trias superesse vigentem,
 Annosi donec complèrit Nestoris annos!
 Tuq; Stylo exornans hæc publica gaudia pulchro,
 Perge; alij tua quò SACKLINI exempla sequantur.

*Submissâ atq; humilimâ devotione
 ergâ S:m R:m Maj:tem*

*Amicâ mente in hujus eximia Declamationis authorem,
 ἀντὶως χεῖρ ἰώσ, insuetus ἔσ occupatissimus adjecit*

MICHAEL GULDENSTOLPE
 Regij Dicasterij in magno Fenningiæ
 Ducatu Adessor &c.

In auspiciatissimos natales^o
 Serenissimi & Potentissimi Principis
CAROLI UNDECIMI,
 Svecorum, Gothorum, Vandalorumq;
 &c. Regis, Carmen:

*V*ident imperio Martis Sveo Gotthica regna
 Dedita perpetuis bellis, vittricia toto
 Arma solo circumferre & gaudere triumphis
 Diva Veng, mea sūt quoq; sceptra potētia, dixit,
 Et Regi invictō tacitis inspirat amorem
 Ignibus: hos cōlum fovet atq; faventior aura;
 Et thalamum Regis subit excelsissima Nympha.

Hęc tibi sunt sortis melioris Svecia victrix
 Auspicia: his meritō exultas: quę regia nato
 Sceptra, tui Regis, veterisq; insignia regni
 Servavere: quibus princeps clarissimus ipso
 Subscribente polo, modo præsides atq; paterna
 Regna regit: proavis, abavis, atavisq; per annos
 Innumeros trāsmissa. Quis hæc sine nūine gesta
 Dixit? aut tantis intercessisse Deorum
 Donis fata neget? subitum solatia tanta
 Excessum Regis Magni pravertere numen
 Eternum voluit; ne succubuisse dolori
 Et desiderio pateretur regna trionis.

Te solo herede at latatur Svecia, amatq;
 Hos oculos venerari, ignes spirare paternos
 Quos videt & tanto Tē successisse parenti

Gau-

*G*audet ovans: regniq; tui primordia letis
 Suspicit augurijs, pacatis letior ampli
 Finibus imperij: simul optat ut omine dextro
 Succedant quęcunq; sacris meditaris habenis
 Imperij. Te Rege chorus sua festa quotannis
 Letus agat, legesq; Dei plebs omnis adoret.
 Aurea pax regno sua munera dividat: alma
 Justitia hanc ulnis complexa sit obvia: cælo
 Missa beet terras benedictio: læta triumphet
 Rege suo patria & longos tibi proroget annos
 Cura benigna Dei: videant tua regna coronam
 Te gestare diu felicem: hanc horreat hostis.
 Hęc vel que meliora tuis mens optima dicat
 Civibus, exoptant cuncti: votisq; fatigant
 Pectora nostra polū: Deus impleat omnia: vel quę
 Ipse tuis precibus princeps celsissime, castis
 Expetis: ista Deo sint exaudita precamur.

*V*ive polo soboles demissa, genusq; deorum,
 Vive diu Regum, totus quos extulit orbis
 Progenies Augusta, patris nitidissima imago,
 Delicium patria, seculi jubar, unica regni
 Gloria, Palladium, spes maxima, spesq; decusq;!

Quod subjectissimā devotione subito
 fudit Aboæ

MARTINUS MILTOPÆUS,
 El. Prof. Publ.

Humanissimo JUVENI,
 Dn. HENRICO SACKLINIO,
 Natales Regios Oratione doctā celebranti
 L. Mq; gratulabar.

*S*ic faveant tibi SACKLINI felicia fata
 Ceu modo Natales maxima REGIS erat
 Cura tibi celebrare: tuis quoq; vocibus omnis
 Applaudit patria & talia vota facit:
 REX JUVENIS PATRII REGNI OPTATISSIMUS HÆRES
 PERPETUO FELIX SVECICA SCEPTRA REGAT.

Idem

MARTINUS MILTOPÆUS.



HEIKKI REENPÄÄN
KIRJASTO



Academica
fol.
Sacklinius

KANSALLISKIRJASTO

